Causæ, propter quas sententiam de physica uoluntatis prædeterminat.e antecedente quamcunque liberam actionem uoluntatis plurimi Societatis IESV Doctores sibi sequendam non putat, nec modum loquendi probandum.

1.a quia in re grauissima, et ex qua magna pars Theologiæ supernaturalis pendet, nouam doctrinam, prædeterminationis uoce introducit, quæ nullo auctoritatis fundamento sacrarum literarum, Conciliorum, S.ti Augustini, et aliorum Sanctorum Patrum, D. Thomæ, uel antiquorum Scholasticorum, Aristotilis, aut grauis cuiuspiam Philosophi nititur: Sed eorum potius, tum hæc ipsa prædeterminationis opinio, tum quæ ex ea deducuntur, illis omnibus non obscurè repugnant: ac præsertim quamplurimis D. Thomæ sententijs, quæ cum hac prædeterminat.e nullo modo cohærent.

2.a Multa, quæ hac sent.a continentur, atque alia, quæ ex ea consequuntur, sunt ijs ualde consentanea, quæ Lutherus, Caluinus, aliique nostri temporis hæretici docuerunt. Atque adeo multi sunt, qui existiment eam, nec re, nec uerbis ab illorum doctrina differre; Quare ne hæretici nostrorum Doctorum auctoritate, ac ueluti patrocinio abutantur, eam sent.am non putamus amplectendam.

3.a Hac prædeterminationis recepta sent.a, nonnullæ sacri Concilij Trid.ni difinitiones, quibus eorum hæreticorum doctrina damnatur, prorsus eneruantur, et uix possunt ab absurdis sensibus uindicari.

4.a Introducitur ex hac sent.a nouus quidam gratiæ prævenientis modus, in hac positus prædeterminatione, Eccl.æ Catholicæ ante hæc tempora inauditus.

5.a Cum huiusce sent.æ auctores gratiam prædeterminationis necess.am esse constituant ad conuersionem in deum, atque alios huiusmodi actus; sufficientia Dei euertunt auxilia. Si quidem præter illa, prædeterminatio prorsus necess.a ponitur, quæ non est in hominis potestate.

6.a Ex quo efficitur hominem, qui à Deo hac physica prædeterminat.e non mouetur, à Deo prius deseri, quam ipse deserat Deum; ac proinde per deum stare, quominus piè operetur: quod est contra sacras literas, et Patres Eccl.æ; Cum præcipuè huius sent.æ auctores asserant Deum absoluta uoluntate, uel consequenti, ab æterno statuisse non dare necessarium hoc prædeterminationis auxilium ijs omnibus, quibus reipsa datum non est.

UGR Biblioteca Universitaria

7.ª Nam si in hac prædeterminatᵉ gratiæ efficacia consistit, quæ ex natura, et entitate sua
per se, et a se sola erit efficax sine ullo respectu ad liberum arbᵐ. De qua re, qui contra
Caluinum nouissimè scripserunt, sic dicunt: fatetur gᵒ. Caluinus efficacem a se ipsa gratiam
quam ponit, nouellum esse, suiq. cerebri commentum. Dignum sanè dogma, quod a
homine tam impio inuentum viri docti complectantur. Hæc Stapletonius. Erit præ-
terea causa sola conuersionis in Deum, qua una re Lutherus tanquam parta victoria
triumphans ait; Papa Eccl.ª si sola gratia nos iustificari sincerè doceret; neq. in pa-
pam creuisset, neq. ad Roram, si quo casu creuisset, stetisset. Denique sine fieret, ut
negatio efficacis gratiæ causa esset adæquata non conuersionis in Deum; quod quam
absurdum, suo loco demonstrabitur.

8.ª Quia sequitur liberum arbᵐ. motum, et excitatum à Deo, eiusq. inspirationem recipi-
ac Deo illud actu tangente, non posse Deo mouenti, excitanti, atq. tangenti dis-
atq. resistere, nec inspirationem, quam recipit, abiicere: hoc est, non posse simul cum
tali motione, excitatione, inspiratione, tactuq. Dei dissensum, ac resistentiam
iungere: quod apertè est contra expressam Concilij Tridᵐ. et Senonensis definitionem
immo uero contra Sacrarum literarum testimonia, quibus utrunq. Concᵐ. innitens, contra
definiuit.

9.ª Hac efficaci prædeterminatᵉ libertas humª. voluntatis euertitur. Cum n. volunta-
prius saltem natura, quam operationem eliciat, antecedenter sit, et physicè prædetermina-
ad unam tantum partem, non pot se determinare, neq. cum indifferentia agere: A-
proinde neq. actionem à necessitate liberam elicere. Quapropʳ. nonnulli huius sent.
auctores, causas et liberas comparandas baculo putant potius, quam arbori, qu-
arbor, inquiunt, motum habet, et vitam, flores, et frondes, fructusq. producit; bacu-
autem inanime quoddam est, et immobile, et nisi moueatur ab alio, nihil per se potes-
operari; cum tamen Concᵐ. Tridᵐ. similem Lutheri sentᵃᵐ. sess. 6. can. 4. his verbis damna-
uerit: Si quis dixerit liberum arbitrium esse veluti inanime quoddam, nihilominus
agere, mereq. passiuè se habere, anathema sit.

10.ª Similiter cum voluntas non agit, defectu huius prædeterminationis antecedentis non
poterit agere; cum neq. habeat eam prædeterminationem, neq. sit in eius potestate illam
habere. Quare nec seruare poterit affirmatiua præcepta; nec, si non seruarit, eo

omittio

UGR Biblioteca Universitaria

omissio illi poterit adscribi.

11.ª Quin et nec Deus poterit praecepta dare voluntati, quam non praedeterminat, aut certè praeci-
piet impossibilia, cum sine illa praedeterminat.ᵉ servari non possint. Praeterea inanes
essent omnes sacrarum literarum cohortationes, ut voluntas, quae praedeterminata non est, con-
vertatur in Deum, et piè agat. Inanes essent obiurgationes, quod non convertatur.
Inanes denique comminationes, iniusta supplicia.

12.ª Nam qua ratione haec praedeterminatio ponitur ad actus supernales propter subordinationem
causae 2.ᵃᵉ, quae agere non pot. nisi efficaciter à p.ª praedeterminata; eadem ponitur
et ad omnes actus naturales, et ad realem entitatem cuiuscumque peccati, vel intrinsece
mali: ad quam necesse esse dicitur, ut Deus praemoveat, inclinet, praedeterminet, atque
(ut aliqui huius sent.ª loquuntur) trahat humanam voluntatem, ita ut hac praedetermi-
nat.ᵉ posita, voluntas non possit in sensu composito non peccare. Quare ut dicitur
gratia praedeterminationis se sola esse ad bonum efficax, et causa sola conversionis: ita dicen
esset hanc praedetermin.ᵉᵐ ad malum esse ex se solam efficacem ad malum, et solam causam
peccati, aliaque eodem modo. Denique Deum non ex praecognitione demeritorum dare hominibus
hanc praedeterminat.ᵉᵐ ad peccandum, sed solum quia ita vult: ita ut, cum quis actu
tentatur, ut consentiat tentationi ad peccatum allicienti, Deus ex se, et ex sola sua
voluntate illum praedeterminet ad peccatum potius, quam ad actum bonum; cum aequè posset
ad bonum praedeterminare.

13.ª Quia ex his omnibus efficitur concordiam liberi arbitrij cum div.ª praedestinat.ᵉ et gratia efficaci
non modo esse inexplicabilem eo, quod hic potius, quam ille praedestinetur, ac effica-
citer moveatur, quod nos fatemur, et S.ᵗⁱ Patres asseruerunt, verum et eo quod posita
hac praedeterminat.ᵉ, intelligi non pot. quomodo voluntas libera sit à necessitate
quod haereticis vehementer favet, et certè hac posita sent.ª, vix pot. satisfieri eorum
argumentis. Denique quia hac praedeterm.ᵉ concessa, quam inexplicabilis est concordia
praedestinat.ⁿⁱˢ et gratiae efficacis praedeterminantis cum lib.° arb.°, tam inexplicabilis erit
cum ista praedeterminat.ᵉ libertas voluntatis ad actus natales, et ad peccata; Cum tamen
communis consensus sit non modò sanctorum Patrum, ac Theologorum, verum et
omnium hominum, libertatem arbitrij et, cum agit, esse lumine naturae evidentem

3.
Causæ ob.r quas displicet sent.a
aliquorum Rec.um Dominicanorum